

charitatis, nullatenus nobis opponuntur. Nos enim etiam requirimus ex decencia, imò ex debito sub veniali propter reverentiam, quæ specialiter debetur huic Sacramento, in quo Christus realiter continetur. Imò necessariam omnino dicimus pro consequendo effectu ejus adequato, scilicet, non solum augmentum gratiæ habitualis, sed etiam spirituali refectioe actuali. Nec aliud evinci potest ex Patribus.

Obj. 2. Ad omnem actionem, consequenter ad infusionem gratiæ requiritur mutus contactus agentis, passivi; atque mutus contactus inter Deum, & hominem adultum est per motum liberi arbitrii: ergo. R. D. Maj. Ad infusionem gratiæ ex opere operantis requiritur, & c. C. ex opere operato, N. Tunc enim sufficit, ut non ponatur obex gratiæ. Vel dic, adesse motum liberi arbitrii in voluntaria susceptione Sacramenti, qui sufficit pro Sacramento vivorum.

Instr. Gratia infusio fit juxta mensuram actus, & dispositionis actualis recipientis: ergo. R. D. ut ante, gratia infusio ex opere operantis, C. ex opere operato, N. Hæc enim fit etiam juxta mensuram gratiæ habitualis, quæ est dispositio sufficiens ad Sacramenta vivorum. Licet verum sit, ubi tantum est hæc dispositio habitualis, & nulla actualis, quod minimum concedatur augmentum gratiæ, sicut concederetur v. gr. infanti baptizato, cui Confirmatio, aut Eucharistia conferretur.

Obj. 3. Qui se præbet indignum gratia, non crescit in gratia; atque peccans venialiter se præbet indignum gratia: ergo. R. D. Maj. Qui se præbet indignum gratia indignitate mortali, non crescit in gratia, C. indignitate veniali, Subd. Ex opere operantis, C. ex opere operato, N.

Instr. Per peccatum veniale nemo fit sanctus, aut sanctior: ergo. R. D. Ant. ut ante: Per peccatum veniale nemo fit sanctus, aut sanctior ex opere operantis, C. ex opere operato, Subd. Attenta ratione mali in peccato veniali, C. attenda actus substantia, N. Itaque actus venialiter malus post considerari, vel sub formalitate mali, & sic non concurrat ad infusionem gratiæ; vel secundum substantiam, prout est libera susceptio Sacramenti, & sic concurrat tanquam dispositio sufficiens ad infusionem gratiæ ex opere operato.

Obj. 4. Specialiter pro Sacramento Eucharistiæ. Hoc Sacramentum datur per modum cibi, & potus nutrientis; atque nutrit: ergo nec iste cibus, & potus spiritualis sine actu vitali nutrit. R. N. Conseq. Disparitas est, quod cibus, & potus materialis convertitur ab alio in ejus substantiam, ideoque indiget actu vitali. At cibus spiritualis e contra convertit recipientem in se, juxta illud dictum Aug. *Nec tu me mutabis in te, sicut cibus carnis tua; sed tu mutaberis in me.* Unde, ut nutriat, & augeat, non requirit actualem devotionem in recipiente, sed sufficit, quod non ponat obicem.

Obj. 5. Si in qualibet susceptione Eucharistiæ sine actuali devotione cum solo statu gratiæ augeatur gratia, sequitur, quod gratia, & charitas tot Sacerdotum, quos par est credere celebrare in statu gratiæ, sit maxime intensa; atque id non est verisimile, cum tanta gratia, & charitas ut plurimum nullatenus se prodant exterius, nec intus erumpat in actus ferventissimos: ergo. R. 1. Argumentum posse retorqueri in Adversarios. Admittunt enim, ad augmentum gratiæ sufficere actualem devotionem etsi exiguam, & non requiri maximam; in qua sententia sic arguuntur: Si in qualibet sumptione Eucharistiæ cum exigua devotione actuali augeatur gratia, sequitur, quod gratia, & charitas tot Sacerdotum, quos par est credere celebrare cum aliqua saltem exigua devotione actuali, sit valde intensa; atque, & c. ut in præcedenti argumento: ergo. R. 2. Non esse dubitandum, quin plurimi sint Sacerdotes, quorum maxime intensa est charitas, quæ, licet non se prodant exterius per insignia opera, quæ non semper occurrunt, se prodant tamen in officiis solito occurrentibus, & in hoc maxime quod se conservent in gratia contra continuo insurgentes tentationes. Illa enim charitas non est parva, nec otiosa, quam aqz multæ tot tentationum non possunt extinguere. Quod autem in actus ferventiores sæpe non erumpat intus, provenit ex quotidianis peccatis venialibus, quæ fervorem charitatis remittunt. In aliis vero per peccata mortalia amittitur gratia, quæ postea difficile ad eundem gradum recuperatur. His adde, accedenti ad Eucharistiam sine ulla actuali devotione tenuissimum, ut jam dixi, gradum gratiæ conferri.

ARTICULUS V.

Utrum gratia sacramentalis addat aliquid supra gratiam, communitèr dictam, & quid?

Gratia communitèr dicta est gratia considerata sub ea præcisè ratione, qua facit hominem Deo Gratum, & habet annexas quasi proprietates virtutes, & dona in potentis animæ;

& quam ideo Auctor vocat gratiam virtutum, & donorum. Questio est, utrum gratia, quæ conferretur per Sacramenta, ad illam aliquid addat, & quid?

Dico 1. (*Hæc quest. 62. art. 1. o.*) Gratia sacramentalis addit aliquid supra gratiam communitèr dictam, seu gratiam virtutum, & donorum. Prob. 1. (*Ibid. in art. 1. o.*) Si gratia sacramentalis non adderet aliquid supra gratiam virtutum, & donorum, frustra Sacramenta haberentur gratiam, & virtutes, adhiberentur; atque in operibus Dei nihil fit frustra: ergo. Neque dicas, ad hoc tunc deservire Sacramenta, quod gratiam augeant; ad id enim augmentum sufficeret idem Sacramentum sæpius iteratum. Prob. 2. (*Ibid. o.*) Gratia communitèr dicta, sive gratia virtutum, & donorum, datur ad generalem ordinationem actuum animæ; Sacramenta autem ordinantur ad aliquos speciales effectus in vita Christiana, exercendos quasi ex officio, & ratione status: sic Baptismus ordinatur ad spirituales generationem, qua mortui peccatis vivimus in Christo tanquam ejus membra: Confirmatio, ut tanquam milites Christi firmetur in fide: Eucharistia, ut spiritualiter nutriamur, augeamur, & perficiamur; & sic de cæteris; atque ad hos speciales effectus requiritur gratia specialis: ergo.

Conf. 1. Si per quodlibet Sacramentum non conferretur aliqua gratia specialis, sed solum gratia communitèr dicta, Sacramenta nostra non nisi ritu externo differrent, nec plura debuissent institui, sed unum sufficisset; utrumque dici non potest: ergo. Conf. 2. Qui justificatur extra Sacramentum, recipit gratiam communitèr dictam, virtutes, & dona, & tamen non recipit gratiam sacramentalem: ergo.

Dico 2. Gratia sacramentalis non est habitus realiter distinctus a gratia communitèr dicta virtutum, & donorum, neque solum auxilium speciale transiens, sed novus modus intrinsecus perfectionis, seu specialis vigor gratiæ communitèr dictæ superadditus, cum ordine, seu exigentia, & jure ad auxilium actuale suo tempore conferendum. Ita Joann. a S. Thom. Cabrera, Nugno, Serra, Contenson, & alii contra Cajet. Soto, Gonet, & alios, quoad 2. partem Conclusionis. Prob. prima pars: Effectus speciales, ad quos ordinatur gratia sacramentalis, non sunt realiter, & substantialiter distincti ab effectibus gratiæ communitèr dictæ virtutum, & donorum, sed modaliter tantum, quatenus fiunt quasi ex officio, & ratione status connaturaliter, & ex speciali vigore: ergo ad illos non requiritur novus habitus realiter distinctus ab habitu gratiæ habitualis communitèr dictæ. Prob. Ant. Sic effectus, quem causat Pœnitentia sanando, & Baptismus regenerando, Extrema-Unctio alleviando, substantialiter fit per habitum gratiæ virtutum, & donorum; & quamvis Baptismus remittat totam peccatam, nihil est tamen ibi substantiale distinctum, sed modaliter tantum, secundum majorem ejusdem gratiæ extensionem. Sic etiam effectus Eucharistiæ, qui est nutrire, & augere animam spiritaliter, fit substantialiter per actus ferventes virtutum: effectus Confirmationis, qui est firma Fidei confessio, est substantialiter actus fidei: effectus Sacramenti Ordinis, qui est debita Sacramentorum executio, est substantialiter actus Religionis: tandem effectus gratiæ matrimonialis, qui est castè vivere, fidem mutuum servare, sequere mutuis officiis jurare, est substantialiter actus, vel justitiæ, vel charitatis, vel castitatis: ergo. Conf. Gratia sacramentalis est gratia sanctificans; qui enim illam recipit, vel sanctificatur, si sit peccator, vel fit sanctior, si jam sit justus; atque, si esset habitus realiter distinctus a gratia habituali communitèr dicta, non esset sanctificans: ergo. Prob. Min. Proprium est gratiæ habitualis communitèr dictæ sanctificare, imò est ejus effectus formalis: ergo non potest per alium habitum realiter distinctum præstari; effectus enim formalis est ipsa forma communicata.

Secunda pars colligitur ex D. Thom. qui hic a. 2. ad 1. dicit: *Gratia virtutum, & donorum sufficienter perficit essentiam anime quantum ad generalem ordinationem actuum animæ; sed quantum ad quosdam effectus speciales, qui requiruntur ad vitam Christianam, requiritur sacramentalis gratia, quæ nempe perficit essentiam animæ in ordine ad illos speciales effectus: ergo juxta S. Thom. gratia sacramentalis est quid intrinsecum, & permanens perficiens essentiam animæ. Auxilium autem actuale non est quid intrinsecum permanens, perficiens essentiam animæ, sed applicans tantum potentiam ad actum. Et in Resp. ad 3. dicit, quod gratia sacramentalis habet se ad gratiam communitèr dictam, sicut ratio spectat ad genus, speciei scilicet incompletæ, & modalis (gratia enim est speciei atomæ) eo modo, quo v. gr. qualitas magis, & minus intensa, digitus erectus, & digitus inflexus distinguitur. Certum est autem, speciem modalem, & incompletam addere aliquid intrinsecum generi. Neque valet, si dicas cum Cajet. & Soto, S. Thom. loqui de gratia, prout abstractit ab actuali, & habituali: manifestum est enim tam ex corpore Articuli, quam ex solutionibus argumentorum, ipsum loqui de gratia habituali sanctificante.*

Prob.

Prob. ratione: Sacramenta, ut dictum est, ordinantur ad diversos, & speciales effectus pertinentes ad vitam Christianam, efficiendos ab homine; atque ad id secundum consuetum providentiæ cursum non sufficit auxilium Dei actuale transiens, sed requiritur aliquid in homine intrinsecum, & permanens per modum principii, cui correspondeat, & connaturaliter proportionetur auxilium istud transiens, & operatio, ad quam datur: exigat enim suavis, & consueta rerum dispositio, & connaturalis agendi modus, ut in omnibus causis principalibus, qualis est homo respectu suorum actuum, operatio supponat in operante principium operationum sibi connaturale, & proportionatum: ergo gratia sacramentalis non addit solum supra gratiam communitèr dictam auxilium transiens, sed modum quemdam intrinsecum, & permanentem per modum principii; quem dicimus perfectionem, & vigorem specialem gratiæ communitèr dictæ, cum ordine, & exigentia auxilii actualis suo tempore conferendi. Neque dici potest, quod istud speciale auxilium supponatur gratiam communitèr dictam tanquam principium, cui connaturaliter correspondeat: alius sequeretur, quod gratia sacramentalis daretur pariter extra Sacramenta, & quod nihil quidem adderet etiam per modum actualis auxilii ad gratiam communitèr dictam.

Conf. Gratia sacramentalis, maxime secundum Thomistas, procedit effectivè a Sacramento; atque auxilium actuale non efficitur a Sacramento: ergo. Hujus rei aptum exemplum habemus in gratia justitiæ originalis comparata ad nostram. Erat eadem entitativè, & substantialiter cum nostra; habebat tamen quemdam modum perfectionis, quemdam vigorem, quod perfectè subiebat partem sensitivam rationi, & corpus animæ; quem non habet nostra. Itaque ut ad singula descendamus, gratia sacramentalis Baptismi est gratia habitualis cum perfectione, & vigore specialis ad novam vitam in Christo instituendam, ad remissionem totius culpæ, & peccatæ, & ad ritè suscipiendam alia Sacramenta, cum ordine, exigentia, & jure ad auxilia actualia, huic adeptæ regenerationi conservanda, & ejus actibus necessaria. Gratia sacramentalis Confirmationis est gratia habitualis, seu ejus augmentum, pariter cum speciali vigore, & robore ad fidem alacriorem, & fortiter etiam in vitæ discrimine propugnandam, cum ordine, & jure ad auxilia his actibus necessaria. Gratia sacramentalis Eucharistiæ est gratia habitualis, cum pari vigore, & ordine ad auxilia pro anima spiritaliter nutrienda, & specialiter Deo uniendo per ferventes actus virtutum. Gratia Pœnitentiæ est gratia habitualis cum pari vigore, & ordine ad auxilia necessaria pro peccatis plangendis, delendis, & cavendis. Gratia Extremæ-Unionis est gratia habitualis cum pari perfectione, & ordine ad auxilia pro tollendis reliquiis peccatorum, morbo allevando, aut patienter ferendo, & preparatione animæ ad felicem mortem contra extremos tentatoris impetus. Gratia Sacramenti Ordinis est gratia habitualis cum pari vigore, & ordine, & c. ad rectè exercendum cultum divinum, & Sacramenta administranda. Gratia Matrimonii est gratia habitualis cum pari vigore, & ordine, & c. ad fidem mutuo servandam, ad conjugalitèr, & castè vivendum, & ad onera Matrimonii ferenda.

Neque te moveat, quod dicimus cum jure ad auxilia gratiæ, quasi id derogaret gratitudini gratiæ: istud enim jus fundatur in sola liberali, & gratuita Dei promissione. qui fidelis est in suis promissis, nec deest in necessariis: unde nihil officit gratitudini gratiæ, sicut illi non obest, quod gratiam communitèr dictam sequatur jus ad communia auxilia.

Dices 1. S. Thom. hic art. 3. nulla facta mentione de aliqua perfectione intrinseca, & permanente, dicit tantum, *gratiam sacramentalem addere supra gratiam communitèr acceptam auxilium divinum*; atque auxilium divinum non est quid permanens: ergo. R. 1. Non esse insolitum apud S. Thom. per *auxilium divinum* intelligi aliquid habituale, & permanens: sic 1. 2. quest. 109. art. 1. dicit, *requiri auxilium gratiæ ad hoc, quod homo resurgat, & quantum ad habituale donum, & quantum ad interiore Dei motionem.* R. 2. D. Min. Auxilium divinum formalitèr in se non est quid permanens, & Transit, radicalitèr in suo principio connaturale, N. Cum igitur auxilium actuale, juxta consuetam providentiam, & connaturalem modum agendi, debeat correspondere alicui principio operativo, hoc ipso quo S. Thom. dixit, gratiam sacramentalem sporadicè addere auxilium divinum ad speciales effectus, implicitè intellexit connaturale ejus principium. Vel dicendum, quod per auxilium intellexit qualemque confortationem specialem supra gratiam communitèr dictam; quam ideo non nominavit gratiam, eo quod non sit gratia realiter distincta, sed tantum modus gratiæ.

Dices 2. Effectus, ad quos ordinatur gratia sacramentalis, non sunt diversi ab actibus gratiæ virtutum, & donorum, v. gr. proestari fidem, qui est effectus Confirmationis, est actus fidei. Imò quandoquæ contingit, quod aliquis sine Sacramento Con-

Theol. Billuart. Pars Tertia.

firmationis fidem fortius proficitur, quam confirmatus: ergo. R. 1. Hoc argumento probari pariter, non requiri auxilium speciale; quod non admittunt Objicientes. 2. D. Ant. Effectus, ad quos ordinatur gratia sacramentalis, non sunt diversi substantialitèr ab actibus gratiæ virtutum, & donorum, C. modalitèr, N. Hi enim vi gratiæ sacramentalis eliciuntur quasi ex officio, & ratione status tanquam a membris viventibus Christi, per derivationem specialem ejus gratiæ capitalis. Unde, quod non confirmatus fortius protestetur fidem, quam confirmatus, hoc provenit ex majori conatu, & intensione, sed non agit ex officio, & ratione status, neque ut membrum vivens Christi per specialem derivationem a gratia ejus capitali.

Instr. Quare non sufficit, quod gratia sacramentalis ad suos effectus superaddat gratiam communitèr dictam jus ad auxilium speciale? R. Vel illud jus est quid intrinsecum permanens, vel non: si primum, habemus intentum; si secundum, recurrunt rationes nostræ.

Ex dictis colliges, gratias sacramentales essentialitèr inter se differre specie; respectu verò gratiæ, accidentalitèr modalitèr tantum: sicut v. gr. inflexio, & erectio inter se essentialitèr differunt, respectu verò digiti accidentalitèr modalitèr tantum.

Petes, an gratia sacramentalis possit conferri extra Sacramenta? R. de lege ordinaria non conferri: quia tamen Deus gratiam non alligavit necessario Sacramentis, nihil repugnat eam dari extra Sacramenta.

Inferes itaque ex dictis, quod, quamvis Deus aliis, qui Sacramenta non suscipiunt, non solet auxiliis deesse; quibus adjuvantur in iis operibus, ad quæ tenentur; specialitèr tamen titulo adest illis, qui Sacramenta suscipiunt ratione speciales perfectionis gratiæ, & juris, quod ipsis tribuntur Sacramenta ad auxilia specialia, pro actibus specialibus Sacramentorum necessaria. Vides, amice Lector, quanta cura quisque invigilare debeat, ne amittat gratiam sacramentalem, vel ne illa indignum se præbeat Sacramenta indispositus recipiendo.

S. Thom. art. 3. hujus Q. docet, gratiam contineri in Sacramentis novæ Legis, non solum ut signatum in signo, sed etiam ut effectum in causa instrumentali. Art. 4. docet, in Sacramentis novæ Legis esse virtutem causativam gratiæ; quia ponendo, quod sint cause instrumentales gratiæ, necesse est ponere, quod in eis sit quedam virtus instrumentalis transiens, & incompleta, ad inducendum sacramentalem effectum. Art. 5. docet, Sacramenta novæ Legis habere virtutem ex Passione Christi; tum quia Sacramentum est instrumentum separatum, humanitas Christi instrumentum conjunctum; de ratione autem instrumenti separati est, quod allevetur per conjunctum, sicut baculus per manum: tum quia Sacramenta novæ Legis præcipue ordinantur ad duo, ad tollendos defectus peccatorum, & ad perficiendum hominem in his, quæ pertinent ad cultum Dei secundum Religionem Christianam; atque Christus liberavit nos a peccatis nostris, præcipue, & specialitèr modo per suam Passionem, non solum efficiens, sed & meritorie, sed & satisfactorie: item per Passionem suam initiavit ritum Christianæ Religionis, offerens seipsum Deo oblationem, & hostiam: ergo. His non immeritam, quia sufficienter explicata sunt art. 1. & 2. hujus Dissert.

ARTICULUS VI.

Utrum Sacramenta veteris Legis gratiam causarent?

Dico 1. (*Hæc art. 6. o.*) Sacramenta veteris Legis non causabant gratiam ex opere operato activè, sicut nostra: hoc est, non habebant in se virtutem instrumentalem physicam effectivam gratiæ, sicut Sacramenta novæ Legis. Prob. (*Ibid.*) Illam virtutem non habebant ex se, sic enim nec nostra habent; & aliis non fuisset necessaria Passio Christi, secundum illud ad Galat. 2. *Si ex lege est justitia, Christus gratis mortuus est.* Neque ex Passione Christi, seu ex Christo; a quo tamen omnia Sacramenta vim habent: *Non enim est aliud nomen sub calo datum, in quo oportet ad nos salvos fieri.* Prob. Christus nondum existebat: atque, quod non existit, licet possit movere secundum quod est mente apprehensum, ut finis non existens, sed apprehensus movet, non potest tamen movere physicè secundum usum exteriorum rerum, qualia sunt Sacramenta; sicut enim causa efficiens non operatur physicè antequam sit, ita non utitur tunc aliquo reali instrumento ad efficiendum: ergo.

Et hoc sensu intelligimus Apost. Galat. 4. dùm vocat Sacramenta veteris Legis *infirma, & agena elementa*, & quædam SS. Patrum testimonia, quibus deprimunt hæc Sacramenta: item Conc. Florent. dùm in Decreto unionis dicit, Sacramenta veteris Legis a Sacramentis novæ Legis differre, quod *illa non causabant gratiam, sed eam solum per Passionem Christi dan-*

Cc 2 dan-

dum figurabant: hec autem continent gratiam, & ipsam dignè suscipientibus conferunt.

Quamvis autem (1. 2. q. 101. art. 4. q. 10. art. 5. ad 5. quest. 103. art. 2.) hæc sit præcipua differentia inter Sacramenta utriusque Legis, sunt tamen aliæ plures. 1. Nostra sunt pauciora, faciliora, & a Christo immediate instituta. 2. Sunt diversi ritus, & in veteribus nulla forma determinata servabatur. 3. Erant signa nostrorum, & ad tempus instituta.

Dico 2. (in 4. d. 1. q. 2. art. 6. q. 1. ad 2. & 3.) Circumcisio conferebat gratiam parvulis ex opere operato passivè. Supponit conclusio, Circumcisionem fuisse institutam in remedium peccati; de quo infra. Prob. Gratiam conferri ex opere operato passivè est eam conferri ad positionem operis, eo tamen non concurrente effectivè, sed solo Deo operante ultra meritum recipientis, & ministrantis; atqui Circumcisio sic conferebat gratiam parvulis: ergo. Prob. Min. Non Circumcisio ipsa, sed solus Deus ad positionem Circumcisionis vi pacti, & promissionis effiebat gratiam (ut patet ex præcedenti Concl.) ultra meritum infantis recipientis, erat enim incapax; & ultra meritum ministrantis, 1. quia ut docet Aug. Ep. 203. & S. Thom. in 4. cit. in marg. Circumcisio collata ab infideli, seu malo ministro valebat, modo haberet intentionem faciendi, quod Deus hoc signo instituerat, seu quod vera Dei Ecclesia faciebat, sicut nunc de Baptismo, ut dicemus infra. 2. Quia si gratia penderet a sanctitate, & merito Ministri, valde incerta foret salus infantis. Neque dicas, non esse magis incertam quam in sententia nostra, quæ requirit intentionem internam in Ministro: longè enim facilius est habere illam intentionem, quam sanctitatem. 3. Quia nullus privatus, (& nò recurras ad meritum Ecclesie) nec ipsa Ecclesia potest alteri mereri infallibiliter, & de condigno primam gratiam; hoc enim est proprium capitis, ut diximus in Tract. de grat. & dato quòd possit impetrare aut mereri de congruo, non tamen nisi mediante motu illius, cui gratia conferenda est, cuius est incapax parvulus: alioquin Ecclesia, sicut tunc, ita & nunc posset parvulos suos sine cæremonia externa per solum actum internam sanctificare, sicque non indigisset, nec indigeret Sacramentis pro parvulis. Sed veritas est, quòd, etsi per impossibile nullum esset meritum, nulla charitas in Ecclesia, & Minister conferendo Baptismum (idem dic de Circumcisione) intenderet facere quod facit Ecclesia, & conferret Sacramentum, & gratiam conferret.

Dices: S. Thom. infra q. 70. art. 4. o. dicit, Circumcisionem justificasse ex fide suscipientis, aut ministrantis: ergo non ex opere operato etiam passivè, sed ex opere operantis. Verba sunt D. Thom. In Circumcisione conferebatur gratia non ex virtute Circumcisionis, sed virtute fidei Passionis Christi, cuius signum erat Circumcisio; ita scilicet, quòd homo, qui accipiebat Circumcisionem, proficiebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro parvulis. Unde Apost. dicit Rom. 4. quòd Abraham accepit signum Circumcisionis signaculum justitiæ; quia scilicet justitia erat ex fide significata, non ex Circumcisione significante. R. D. Ant. Juxta S. Thom. Circumcisio justificabat ex fide suscipientis, aut ministrantis ad instar Sacramenti independentè a merito utriusque, C. Ant. ex fide tanquam ex merito alterutrius, N. Ant. & Conseq. Quando enim dicimus, Circumcisionem conferre gratiam ex opere operato, & non ex opere operantis, non excludimus absolute opus operantis, sed excludimus illud ut meritum gratiæ: fides autem ministrantis, applicata parvulo per Circumcisionem, ut est actus personæ, nullatenus est meritoria gratiæ; sed ad ejus protestationem, seu applicationem per Circumcisionem, tanquam ad signum divinæ promissionis, Deus confert gratiam; & hoc sensu intelligimus, Circumcisionem conferre gratiam parvulo ex opere operato passivè, & non ex opere operantis. Audiatur. S. Thom. loco citat. in 4. clarè seipsum explicans, & expressis verbis sententiam nostram asserens. Ad 2. inquit, dicendum, quòd fides aliena non jurabat in quantum erat actus personæ, sed ex parte illa, qua respiciebat objectum suum, scilicet Christum, quòd erat medicina totius nature, in quo habebat quandam similitudinem cum Sacramentis nostris, in quantum justificabat ex objecto, quasi EX OPERE OPERATO, NON AUTEM EX OPERE OPERANTE. Et ad 3. Formatio, & informatio fidei sunt conditiones ejus ex parte operantis, non autem ex parte objecti: & idè informatas fidei in Parente non impediabat effectum salutis in filio. Impediabat autem in ipso, quia informatas illa proveniebat ex aliquo, quòd erat contrarium salutis, scilicet ex peccato mortali. Apertum est ergo, S. Thom. per fidem, cuius intuitu conferebatur gratia, nihil aliud intelligere, quam protestationem fidei in Christum per Circumcisionem; aut si velis, ipsam fidem ut protestationem, applicatam, & significatam per Circumcisionem, quicumque interim esset Minister, aut quidquid interius crederet, modo intenderet facere, quòd Deus hoc signo instituerat, erat enim ibi tota fides requisita: sicut nunc, quidquid interius credat

Minister Baptismi, modò conferat Baptismum cum debita intentione, perficit Sacramentum.

Quantum verò ad Circumcisionem pro adultis, & alia Sacramenta veteris Legis, res videtur valde ambigua, & obscura. Multi tenent, ea non conferre gratiam nisi ex opere operantis, sicut quodvis aliud opus bonum, sic ut ultra meritum operantis nihil gratiæ conferat, nec accedentem attitum faciant contritum. E contra Cabrera, Soto, Estius post Hugonem, & S. Bonaventuram volunt, Circumcisionem (idem videtur dicendum de aliis Sacramentis) conferre gratiam adultis, non solum ratione meriti, sed, ut dicit Soto, ratione fidei instar Sacramenti, quatenus per Circumcisionem applicatur, quòd nos modò dicebamus ex opere operato passivè: ita ut, juxta hunc Theologum, accedens attritus foret contritus, arbitraturque, hanc esse opinionem D. Thom. infra q. 70. art. 4. ad 5. ubi S. D. docet, per Circumcisionem remittit adultis non solum peccatum originale, sed etiam actuale; quòd falsum esset, si supponeretur contritus, & ex attrito non fieret contritus. Item quia S. Thom. ibidem non aliam ponit differentiam inter Circumcisionem, & Baptismum, quam quòd Baptismus liberat ab omni reatu peccati, & in corpore in eo confertur copiosior gratia, non Circumcisio: & in corpore Articulati, quòd Baptismus conferat gratiam ex virtute Passionis Christi peractæ, Circumcisio autem in fide Christi venturi, id est; Baptismus physicè, & ex opere operato activè, & Circumcisio moralitèr, & ex opere operato passivè, ut explicuimus.

Verum esto, ut pluribus placet, non esse tribendam Sacramentis veteris Legis hanc prærogativam, quòd, sicut Sacramenta novæ Legis, faciant ex attrito contritum; & continent omnem gratiæ causalitatem sic tribere merito operantis, ut nihil reservetur Sacramentum, videtur repugnare notioni veri Sacramenti, qualia sunt Sacramenta veteris Legis. Nam Sacramentum verum debet differre a non Sacramento, nosque aliter sanctificare, quam non Sacramentum; alius ut quid illud diceretur Sacramentum, & non istud? Atqui, si Sacramenta veteris Legis causant tantum gratiam ex opere operantis, sic ut nota gratiæ causalitatem merito operantis, & nulla Sacramento, nullatenus differunt a non Sacramentis; quòdvis enim aliud opus bonum, quòd non est Sacramentum, eodem prorsus modo confert gratiam. Neque dicas, quòd sanctificans sanctitate legali; id enim non sufficere ad rationem Sacramenti, probavimus Dissert. 1. art. 2.

Respondet Joann. a S. Thom. Sacramenta veteris Legis differre ab aliis bonis operibus, & cæremoniis Religionis, quòd Sacramenta essent signa practica gratiæ, continentia promissionem, & pactum Dei. At verò quodcumque opus bonum, quòdvis alia cæremonia Religionis, ex fide per charitatem operante peracta, erat pariter signum practicum gratiæ continens promissionem, & pactum Dei; promissit enim Deus gratiam cuiuslibet operi bono procedenti ex fide per dilectionem operante, ut vidimus in Tract. de Grat. & hinc

Conf. Si Sacramenta veteris Legis causant tantum gratiam modo dicto, sequitur, quòd fuerint instituta in gravamen potius, quam in utilitatem populi; siquidem sine illis non minus, quam cum illis posset obtineri gratia.

Respondet laudatus Joann. a S. Thom. ex Apost. Rom. 3. dicente: Quid ergo amplius Judæo est? Aut que utilitas Circumcisionis? Multum quidem per omnem modum. Primum quia credita sunt ei eloquia Dei. Sed contra. Evidens est, sensum Apostoli esse, quòd credita sint eloquia Dei non Circumcisioni, proit est Sacramentum respectivè ad gratiam, sed Religioni Judæorum, cuius Circumcisio erat tessera; sicque remanet, quòd ipsa ut Sacramentum sit inutilis, & a fortiori alia Sacramenta. Sed, & verius arbitratur Estius, responsum, quam hic facit Apostolus, non spectare secundum membrum suæ interrogationis, hoc scilicet, Aut que utilitas Circumcisionis? illi enim respondet Cap. seq. sed primum, hoc scilicet, Quid ergo amplius Judæo est?

Videtur itaque dicendum, Sacramenta veteris Legis moralitèr aliquid gratiæ ex opere operato conferre passivè, & non totum haberi ex merito operantis; sive dicas, Deum eorum intuitu aliquem gradum conferre ultra illum, qui debetur merito; sive Deum eorum intuitu augere, vel devotionem, vel fidem, vel attritionem, vel contritionem, quòd est saltem concurrere mediè ad gratiam; sive aliquid aliud quòd volueris, modò in eis salves rationem Sacramenti proit distinguatur a non Sacramentis, nec in ratione Sacramenti sint inutilia.

DISSERTATIO IV.

DE ALTERO EFFECTU SACRAMENTORUM, QUI EST CHARACTER.

Div. Thom. Q. 63.

Character est vox græca, significans notam, vel signaculum, quòd vel unus ab alio distinguitur, vel ad aliquod officium deputatur: sic pecudes solent caractere distingui: sic qui deputantur militiæ, solebant antiquitus insigniri aliqua nota corporali, quæ dicebatur caracter militaris. A Theologis usurpatur pro signaculo quòd in spiritali per Sacramentum animæ indelebiliter impresso, quo Fideles deputantur ad ea, quæ sunt cultus divini. De illo quarimus 1. utrum, & per Sacramenta conferatur. 2. Quid sit, seu ad quod prædicamentum pertineat. Deinde varias circa illum Quæstionulas resolvemus.

ARTICULUS I.

Utrum, & que Sacramenta novæ Legis characterem conferant?

Dico 1. (Hæc q. 63. art. 1. o.) Quædam Sacramenta novæ Legis conferunt characterem. Est de fide decisum a Conc. Florent. in Decreto unionis, a Trid. sess. 7. Can. 9. contra Wicelistas, Lutheranos, & Calvinistas, qui absolute negant, ullum characterem per Sacramenta imprimi; contenduntque, Innoc. III. qui obiit anno 1216 esse primum illius inventorem. Quidam Conclusionem probant ex illo 2. Cor. 1. Qui unxit nos Deus, qui & signavit nos, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris; & ex quibusdam aliis similibus Scripturæ locis. Alii verò arbitrantur, nihil certo evinci posse ex Scripturis, quia rectè intelligi possunt de sola gratia. Ut ut sit,

Prob. Conclusio ex Traditione. S. Dionys. de Eccl. Hierarch. c. 2. dicit, Deum accedenti ad Baptismum tradere sui participationem; & addit: Perficiens ipsum divinum, & communicatorem divinum per characterem. Hinc S. Thom. in 4. d. 4. q. 1. art. 1. dicit, quòd a Dionysio prima traditio characteris nobis advenit, scilicet, proprio nomine, scripto expressa. S. Cyrillus Jeros. in Præfat. ad Catecheses: Magnum, inquit, sanè est propositum hoc Baptisma, captivitatibus liberatis, peccatorum remissionem, mors peccati, animæ regeneratio, vestimentum candidum, signaculum sanctum, & indelebile. Et Catechesi 4. Spiritus S. tempore baptismatis animam obsignat. Quibus verbis S. D. aperte distinguit characterem sicut & gratiam a ritu externo, sicut effectum a causa; & ab ipsa gratia, quòd ille sit indelebilis, & non gratia. S. Basilius Hom. 13. in S. Baptisma: Quomodo, inquit, vindicabit te Angelus? Quomodo eripiet te hostibus, nisi agnovit signaculum? Quomodo diciturus es tu: Deus sum; si notas, ac insignia non exhibeas? S. Chrysost. Orat. 2. in Ep. ad Ephes. dicit, nos in anima signari per Baptismum, quomodo Judæi in corpore per Circumcisionem signabantur: signum autem Circumcisionis erat perpetuum. Idem dicit S. Epiphani. Hæresi 8. S. Ambros. l. 1. de Spirit. S. c. 6. Erit, inquit, specte signemur in corpore, scilicet, per Sacramentum, seu ritum externum, veritate tamen signamur in corde, scilicet, per characterem. Videatur insuper S. Joann. Damasc. l. 4. Orthodoxæ fidei c. 9. Greg. Nazianz. Orat. 40. S. Aug. Ep. 23. Consecratio, inquit, rem facit Hæreticum, extra Dominum gregem habentem dominicum characterem. Ep. 50. sub finem, malo Christiano interroganti, cur non iterum baptizaretur ad ablationem peccatorum, respondet: Quia non facio injuriam characteri Imperatoris, cum errorem corrigo desertoris. Tract. 5. in Ep. Joann. de malo Christiano: Characterem, inquit, impositum habet, sed desertor vagatur. Lib. 6. contra Donatistas c. 1. Satis eluxit Pastoribus Ecclesie Catholice toto orbe diffusæ, per quos postea plenarii Concilii auctoritate originalis consuetudo firmata est, etiam ovem, que foris errabat, & Dominicum characterem a fallacibus prædicatoribus suis foris acceperat, venientem ad Christiane unitatis salutem, ab errore corrigi, a captivitate liberari, a vulnere sanari, characterem tamen Dominicum in ea agnoscere, potius quam improbari. Tandem Aug. contra Donatistas passim probat, malos non sectis, ac probos recipere verum Baptisma, illudque nec iterari, nec amitti posse. Cùm ergo fide accedens non recipiat gratiam, & actus ipse transeat; apertum est, esse aliquid aliud, quòd recipiunt mali, quòdque manet in illis indelebiliter. Hoc autem quid est aliud, quam character?

Hæc ergo traditioni innixus Innoc. III. Cap. Majores Tit. 42.

de Bapt. loquitur de caractere impresso per Baptismum tamquam de re nota, & communiter recepta in Ecclesia; sicque non nisi per evidentem falsitatem potest traduci tanquam primum Auctor illius. Ex eadem Traditione Conc. Florent. in Decreto unionis, & Trid. Sess. 7. Can. 9. hoc dogma definiunt: verba sunt Tridentini: Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo, Confirmatione, & ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale, & indelebile, undè ea iterari non possunt, anathema sit.

Ratio Conclusionis a priori nulla est præter institutionem Christi, quæ nobis innotescit per Traditionem, & definitiones Ecclesie. Ratio congrua Auctoris est hæc: (Ibid.) Quicumque deputatur ad aliquid certum, consuevit ad illud consignari; sicut milites, qui adscribentur ad militiam, antiquitus solebant quibusdam characteribus insigniri; atqui Fideles per quædam Sacramenta deputantur ad aliquid spirituale agendum, vel recipiendum, pertinens ad cultum Dei: ergo congruum est, ut ad hoc aliquo caractere spiritali consignentur.

Dico 2. (Ibid. art. 6. o.) Tria tantum Sacramenta, scilicet, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, conferunt characterem; non alia quatuor. Per tria assignata conferri characterem, jam vidimus definitum a Trid. Per hæc autem sola conferri, & non per alia quatuor, pariter definit Conc. Florent. in Decreto unionis his verbis: Inter hæc Sacramenta tria sunt, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, quæ characterem, id est, spirituale quoddam signum, imprimunt indelebile in animam, undè in eadem persona non reiterantur. Reliqua verò characterem non imprimunt, & reiterationem admittunt.

Suadetur 1. (Ibid. in a. s. e.) ratione, quam insinuant Concilia. Sacramenta, in quibus imprimitur character, non reiterantur, eo quòd character est indelebilis; atqui tria tantum Sacramenta assignata non reiterantur, alia autem quatuor admittunt reiterationem: ergo. 2. Character, (Ibid. o.) ut dicemus Art. seq. est potentia, per quam homo ordinatur ad ea, quæ sunt divini cultus, sicque ad agendum, vel recipiendum, quæ spectant divinum cultum; omnis enim potentia est activa, vel passiva; atqui solum per tria Sacramenta assignata conferitur potentia ad agendum, vel recipiendum ea, quæ pertinent ad cultum divinum, & non per alia quatuor: ergo. Prob. 1. pars Minoris: Ad agendum pertinet Sacramentum Ordinis, quia per illud conferitur homini potentia ad alia Sacramenta faciendâ, & ministrandâ. Baptismus pertinet ad recipientes, quia per illum conferitur potentia valde recipiendi alia Sacramenta: undè dicitur juxta illorum Sacramentorum. Confirmatio pertinet ad agentes, & recipientes, quia per illam conferitur potentia ad congruenter recipiendâ alia Sacramenta, & ad profitendam ex officio fidem Christi tanquam ejus miles. Sicque per Baptismum homo adscribitur familie Christi, per Confirmationem adscribitur ejus militiæ, & per Ordinem deputatur ad sacra ministeria obeunda. Prob. 2. pars Minoris. Quamvis cætera Sacramenta ordinantur ad cultum divinum per modum actionis; omnium enim susceptio, seu administratio est exercitium cultus divini; non tamen conferunt potentiam ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum, pertinens ad cultum divinum. Sic per Pœnitentiam, per quam homo liberatur a peccato, non conferitur ipsi de novo aliqua potentia ad aliquid agendum, vel recipiendum in ordine ad cultum divinum saltem sacramentalitèr, etsi moralitèr, sed dumtaxat restituitur in pristinum statum. Similiter Eucharistia non ordinatur ad aliquid agendum, vel recipiendum sacramentalitèr, cum sit potius finis, & consummatio omnium Sacramentorum. De duobus aliis Sacramentis, scilicet Matrimonio, & Extrema Unctione, mentionem non facit Auctor; quia res est evidens: Matrimonium enim non dat potestatem ad aliquid spirituale sacramentalitèr, sed tantum ad corpus conjugis. Pariter per Extremam Unctionem non conferitur homini potentia ad aliquid ulterius agendum, vel recipiendum sacramentalitèr in Ecclesia militante, cùm sit potius janua ad egrediendum ex illa: ergo.